

**Litterae et Philologia.**

- De nimio studio allegorice verba detorquendi. (M. Galdi). Pag. 5  
 De latinae linguae pronuntiatione adnotiunculae. (I. Tasset). Pag. 6  
 Ne adulescentes a latini sermonis cultu derreantur. (A. Aurelij). Pag. 22, 65, 121  
 De certamine poetico Hoeufftiano. Pag. 27  
 Martialis rusticans. (M. Galdi). Pag. 42  
 De fonte Divinae Comoediae Dantis Ali-gherii. (A. Martini). Pag. 45  
 Varia Latinitas. (M. Galdi). Pag. 91, 129  
 Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum. — Brevis scholastica commentatio ad discipulos. (I. B. Francesia). Pag. 107, 124, 147

**Nostrae res.**

- Quaesitis ad referendum responsiones. Pag. 34, 93, 132

**Oeconomicae et Sociales Quaestiones.**

- De conflictibus operarios inter et heros. (I. I. Berthier). Pag. 8  
 De quodam saeculi vitio, quod homines maxime torquet. (I. B. Francesia). Pag. 52, 71  
 De miserrima nonnullorum hominum conditio in agro Romano. (A. Aurelij). Pag. 110  
 De arbitratu inter nationes constituendo. (I. I. Berthier). Pag. 142

**Philosophia ac Theologia.**

- De Assumptione B. V. Mariae in caelum (R. Fei). Pag. 67  
 (Vide etiam Pius PP. X).

**Pius PP. X.**

- Pii PP. X litterae ad «Almae Romae» Moderatorem. Pag. 1  
 Pontifex mortuus est! (*Alma Roma*). Pag. 82  
 Pius PP. X paucis diebus ante mortem «Almae Romae» iterum benedicit. (I. For-nari). Pag. 84  
 Pii PP. X Pont. Max. in latinum sermonem cura et sollicitudo (A. Aurelij). Pag. 85  
 Pius X latinae poeticae cultor. (F. X. Reuss). Pag. 87  
 Quam egregie de philosophica ac theologica doctrina meritus sit Pius PP. X. (I. I. Berthier). Pag. 88, 105  
 (Vide etiam *Carmina, Roma sacra*).

**Roma Sacra.**

- Acta Pii X P. M. Pag. 17, 39, 59, 75  
 Pii X P. M. obitus. Pag. 96  
 Novi Pontificis electio. Pag. 98  
 Acta Benedicti XV P. M. Pag. 118, 155  
 Ioannes Baptista Card. Lugari. Pag. 77  
 Sacrae Congregationes:  
   S. Congregatio Concilii. — De missa pro populo et servitio chorali. Pag. 17  
   S. Congregatio Consistorialis. — De electione Vicarii Generalis dioecesum Americae Septentrionalis in consultorem dioecesanum. — De Sacerdotibus in certas quasdam regiones demigrantibus. Pag. 18  
   S. Congregatio Indicis. — Libri prohibiti. Pag. 18  
   S. Congregatio S. Officii. (Sectio de Indulgencis). Pag. 78  
   S. Congregatio de Religiosis. — De novis sodalitatibus earumque constitutionibus adprobandis. Pag. 18  
   S. Congregatio Rituum. — De Baptismo domi conlato. — De Festo dedicationis Ecclesiae. — De Festo B. Mariae V., Magnae Hungarorum Dominae. Pag. 18  
   De diebus ad nonnulla Festa recolenda constitutis. — De Sacra Synaxi sabbato sancto fidelibus distribuenda. Pag. 60  
   S. Congregatio Studiorum. — Theses quaedam in doctrina S. Thomae Aquinatis conten-tae, a philosophiae magistris post Motu proprio Pii X fel. re. «Doctoris Angelici» edito d. XXIX mens. Iulii MCMXIV propositae, et a S. Congregatione Studio-rum approbatae. Pag. 137

**Vacui temporis hora.**

- Praeloquium. Pag. 16  
 Quaesita ad referendum. Pag. 16, 56  
 Coquinaria. Pag. 16, 38, 56, 76, 117  
 Iocosa. Pag. 17, 38, 57, 77, 117, 136  
 Aenigmata. Pag. 17, 38, 57, 77, 117, 136, 154  
 De «molli manu». Pag. 37  
 Singulares nundinae. Pag. 76  
 Arabicae potionis taberna. Pag. 116  
 Recentissimum inventum. Pag. 135  
 Signum cursus publici. Pag. 135  
 Natalicus caudex; arbor natalicia. Pag. 153  
 Vesevi montis incendium. Pag. 153

**ALMA ROMA**

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ~ ~

**Sociis et Lectoribus****Commentarii nostri humanissimis.**

Quum, mense Maio superioris anni MCMXIV, commentarium hunc per orbem universum diffundebamus proposita nostra evulgandae provehendaeque latinitatis edicentes atque tum adiuncta temporum, tum perficiendae rei ipsius difficultates considerantes, periculosae plenum opus aleae nos suscepisse candidate profitebamur. Atqui longe aberamus ut cogitaremus, vix post menses duos, tantam publicarum rerum eversionem futuram esse, quantam humana mens concipere nunquam posset, immanisque belli tumultu ac ruina non unas artes, sed ipsa commercia omnis generis ita illico conticescere debuisse, ut ne liceret quidem homines cum hominibus late passim communicare.

Sed tamen, quum in lacrimabili ipso hoc statu tantum eorum, qui societatem nostram sunt interim amplexati, favorem in dies experiamur, ut ex ipsis castris in quibus captivi detinentur opus nostrum prosequantur; quum sensim socios alios accedere vel a longissimis Iaponiae, Indiarum Australibusque civitatibus videamus, nonne minime demittendi, sed erigendi animi sumendum est argumentum, fore ut, hodiernis tandem superatis difficultatibus, quando demum, Dei miserentis beneficio, tranquilla pax redierit, ad *Almam* hanc *Romam*, quae nomen amantissimae Matris retinens, eius vocem «humanitatis in caritate» recolare ac diffundere satagit, frequentissimi accedant quotquot odiorum, caedium invidaeque pertaesи, sancta, iusta, civilia in una mentium animorumque communione, atque inde in unitate sermonis, expetant?

Hac spe freti maiore virtute in incoepturn nostrum hoc anno intendemus, neque laborem ullum omittemus ad finem nobilissimum consequendum perenneque cultarum gentium vinculum astringendum arctius.

At vero huiusmodi curam et contentionem nisi collatis viribus perficere non licet: legio itaque sociorum nostrorum novis militibus in singulos dies augenda est. Quid, si quisque Patronum aut Socium *unum* aggregabit? Numerus, id est robur, duplicabitur; eritque in tenui labor, at tenuis non gloria...

\*\*

Quod ad rationes attinet condendi commentarii, in iis maxime persistemus quae probata plurimis iam accepimus: de diversissimis argumentis scilicet agemus, quibus luculenter patefiat, «latinam linguam amplissimam semper, divitem, mobilem, vel ad ea mire praestantem, quae de hodierno vitae usu recentibusque inventis sunt»; idque breviter, et quo magis liceat, sermone pedestri. «Quo magis liceat» dicimus; namque ne in neologismis quidem, quibus interdum necesse erit uti, ab illis normis discedere, illum latini sermonis thesaurum violare studebimus, quem incorruptum, velint nolint, alma Urbs per saeculorum decursum apud auctores suos nunquam non servavit. Neque parvi etiam animadversiones pendamus aut negligemus, quae a sociis ad opus perficiendum vel pervenerunt vel sint perventurae.

In optatis nostris fuit etiam, et est, silvam, seu verborum, dictionum, phrasiumque vocabularium componere, quod instruendis colloquiis inserviret; quinimo ad ipsum finem facilius obtinendum hortati sumus iam socios, ut opem quisque suam conferret (1). Dum ad succurrendum necessitatibus huiusmodi incumbimus, atque studii nostri specimina hoc ipso anno exhibere confidimus, iam nunc in sociorum commodum aliquid facere contendimus. Meminerint lectores a clarissimo socio nostro Herminio Iacobelli opus fuisse nobis de re oblatum, cuius pariter et cum laude mentionem fecimus (2), quodque ille *In campo latinitatis novi flores* inserpsit. Ab eo igitur rogavimus num favorabili emptionis condicione *Almae Romae* sociis librum suum, qui venale prostat lib. tribus, cederet. Cui petitioni quum ille pro sua humanitate morem subito gessisset, factum est ut socii nostri, sive qui iam sunt, sive etiam qui per hunc annum adventuri erunt, ipsius Herminii Iacobelli volumen dimidiato pretio, scilicet libell. 1,50 possint sibi comparare.

Summam itaque hanc ad nos mittant qui iam subnotationis pretium solvunt; addant subnotationis pretio qui erunt soluturi, librumque domum habebunt, qui profecto **praemium optimum semigratuitum**, ut vulgo audit, constituet.

\*\*

Quod erit denique pretium istud annuae subnotationis?

*Almae Romae* subnotatio bifarium dividitur, Patronorum nempe et Sociorum. PATRONUS est qui summam saltem italicarum libellarum centum quotannis commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius fit exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis.

SOCII in singulos annos solvunt si in Italia libell. 9; extra Italianam ubique libell. 12 (doll. 2,40; mark. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12).

Pro iis autem qui, per annum MCMXV advenientes, integrum *Almae Romae* collectionem sibi cupiant, nempe a mense Maio MCMXIV quando publicari coepit, ad mensem Decembrem MCMXV, **subnotatio extraordinaria** indicta est pro Italia

(1) Cfr. an. I, fasc. III, pag. 56.

(2) Ibid.

libell. 14; extra Italianam libell. 17. *Ad huiusmodi vero subnotatione extraordinaria fruendum, itemque semigratuito praemio de quo superius loquuti sumus, necesse omnino est, ut pecunia recto tramite mittatur ad JOSEPHUM FORNARI Almae Romae Moderatorem (Roma, Via del Governo Vecchio, 96).* Ad ultimum, circa rationem pecuniae tristibus hisce temporibus solvendae, teneant omnes tutius esse pecuniam ipsam per publici cursus mandatum tradere, quod undique transmissum, in Italia exigitur. Americani autem id facere etiam poterunt per obligationis chirographum apud Societatem American Express.

\*\*

Post haec, socii et lectores humanissimi, uno animo optemus ut annus novus, tot infaustis auspiciis exortus, bene vertat, faustusque felixque omnibus in Christiana pace brevi fiat!

ALMA ROMA.

*Quum sit nobis confirmatum, cursus publicos, in regionibus etiam ubi adhuc in Europa geritur bellum, optime fuisse restitutos, foliaque typis impressa ex Italiae finibus quaqua versus iterum dirigi posse, numerum mense Decembris MCMXIV, pariterque et hunc, ad socios quoque illos misimus, quorum in cautelam superiores omnes fasciculos a mense Augusto diligenter servavimus. Velint, qui nondum fecerunt, ad quietem nostram, de acceptione nos, pro sua humanitate, monere.*

## De arbitratu inter nationes instituendo<sup>(1)</sup>

### II.

Arbitratus tribunal inter nationes civiles institui ab ipsis, seu ab earum principibus et maioribus posse, nemo qui sanae mentis integrique animi fuerit negare potest; uni vel inficiari vel in dubium revocare audebunt ii, qui quasi arreptiti et mente capti sese sibi finixerunt ceteris omnibus excellentiore natura praestare, proindeque sibi ius illis imperandi stulte vindicarunt.

(1) Cfr. num. sup.

Quod imprimis ex facto patet. Arbitrium quippe admissum fuisse, nedum privatos homines inter, sed etiam inter ipsas interdum nationes, tum antiquitatis, tum recentiorum aetatum historia comprobat; immo et adhuc apud gentes nonnullas constitutum ad tempus remanet. Quum ergo ab actu ad posse valeat consecutio, nulla ratio appetet cur institutum illud ad alias nationes civiles, et quidem non de quibusdam solum causis, sed de omnibus, extendi non posset, si quidem «plus et minus non mutat speciem» rerum.

Quum aliunde, quidquid effutiunt nonnulli inter hodiernos vel philosophastri vel artis militaris corruptores, bellum iustum illud sit solum, quod ad vindic-

canda iura ab alio invasa indicitur, atque ad iustitiam eamdemque vindicativam pertineat, nihil sane obstat quominus aliqui de conflictu delegentur iudicaturi, ab ipsismet nempe partibus electi. Id sane pendet ab hominum bona voluntate et fide. Si qui renuant aut impedian, id ex mala fide audebunt: mala autem fides inter homines est quid accidentale, neque in legem deduci potest: dum secus bona fides in legem deduci potest et debet.

Institui igitur potest arbitratus tribunal, quod non uno quidem iudice constet, sed pluribus, quos nationes ipsae deligant et delegent, ad causas litigiorum examinandas, deque compositionis conditionibus cognoscant, quorum sententiae ex condicto standum sit.

Utrum vero optabilis huiusmodi tribunalis institutio sit, ita sane videbitur cuique cordato viro, qui potens velit esse «monarchis persuadere ut hanc rabidam bellandi insaniam, pestilentissimamque furiam et immanissimam pestem suis, immo Christi populis caverent (1)».

Prima ratio cur optabilis sit illa institutio inde deducitur, quod ad dirimendas difficultates componendosque conflictus inter nationes exortos, adhibendum sit medium humanae naturae conformius. Homo siquidem est «animal rationale»; bellum vero, seu violentiae usus, est quid animale, non inducendum inter homines, nisi ubi homo animal minus rationale evaserit. Patet autem tribunal illud, utpote hominibus sapientia et aequitate conspicuis institutum, longe melius iuxta rationis et conscientiae dictamina decreturum.

(1) P. Dominicus Soto, qui Caroli V a Confessionibus fuerat, in *Epist. ad Rom.*, cap. XII, 18.

Hicce adde, bellum nihil de causae iustitia iniustitiave per se significare aut decernere, non plus quam «duellum» privatum, siquidem, — ut ait Herodotus, — «belli fortuna plerumque anceps est et dubia». Addit autem Tacitus: «In pace caussae et merita spectantur: ubi bellum ingruit, innocentes ac noxii iuxta cadunt».

Quin immo illi iura aliorum plerumque invadunt qui potentiores armis sunt; illique insimul plerumque de debilioribus referent victoram, iniuria iniuriam cumulantes.

Iudices vero arbitri, eo quod plerumque minus essent parti addicti, utque a passionibus liberi, et a contradictoribus correcti, rem in se investigarent atque iuxta honestatis normas sententiam plerumque ferrent.

Praeterea tribunal illud quasi aliqua conscientia publica agnoscendum foret, cuius sententias longe facilius omnes admitterent, difficiliusque detractarent, utpote nomine totius societatis latas.

Quinimo hinc forsitan ablegarentur paullatim nonnulla facinorosorum et barbarorum principia turpissima, quae hodie propter propalantur et defenduntur impudentissime; exempli gratia:

— Vis iuri praevalet; — quasi homines belluis conscientia destituti assimilandi forent;

— Debilioribus ius nullum competit; — quasi ius a potentia et ferro pendeat;

— Tormenta bellica sunt suprema regum ratio; — quasi reges ceteris hominibus amentiores dicendi essent;

— Victoria et bellum ius faciunt; — quasi victoria plerumque grande latrocinium, iuxta Augustinum, nuncupanda non esset;

— Ars militaris est inter artes nobilissima; — dum, contra, nisi pro iure stet, est infamissima;

— Hosti omnia infligenda sunt mala; — quasi non prohibeantur homines transire moderamen inculpatae tutelae;

— Gens, seu natio, non debet attendere nisi ad propria commoda; — quasi aliorum commoda ex honore et conscientia non sint simul cura et attentione digna, illeque «egoismus» dictus esset «sacer», nisi eo sensu quo poeta intellexit in notissimo effato:

*Quid non mortalia pectora  
[cogis]  
Auri sacra fames?*

Ex quibus aliisque iustiusmodi apophthegmatibus non minus insulsis quam turpibus, inficitur publica conscientia, unde, teste Seneca, plerumque «belli quaeritur exitus, non causa», victoriis autem triumphisque omnes acclamant, etiam inhonestissimis et perniciosissimis. Res forsitan secus aestimarentur, ubi tribunali praedicto decernendius et officium competet:

a) Utrum de facto alterius partis iura essent laesa;

b) Utrum laesio illa esset certa et non solum praesumpta;

c) Utrum esset gravis an levis;

d) Utrum esset forsitan mutua;

e) Utrum et qualis compensatio esset exigenda.

Et sic de multis aliis, quae apud philosophos et theologos agitantur, quae sit.

Ex quo eveniret ut et principes et populi minori caecitate de re bellica prolaturi forent sententiam suam, non

ex rei natura, sed ex passionibus persuasi, immo abrepti.

Inde iterum calumniarum, mendaciorum, conviciorum illuviae, quibus odia parantur, agger aliquis adderetur.

Aliud demum advertere liceat. Quum tribunal illud inter gentes christianas constituendum esset, ut ponimus, non

## In Epiphania Domini

anni MCMXV

*Ut regum monitu Solimae qui sceptrum tenebat  
Audit infantem regna tenere Deum,*

*Contremuit, totoque pavens expalluit ore,  
Auribus ut fulmen personuisse putet.*

*Iudicis eheu! quantum terribit triste tribunal,  
Si Pueri cunas regia sceptrum pavent!*

ALOISIUS VALENTINI.

ableganda foret philosophia illa, quae ex ratione humana simulque doctrina Christi effloruit, quaeque multa et egregia, immo et recentissimi momenti, dicitur. Cuius exemplum unum, cum lectoris venia, addendum censemus.

Saeculo XVI vixit theologus apud Hispanos celeberrimus, Franciscus Victoria, vita functus an. MDXLVI, qui suo tempore «Pythagoras» alter audiit. Is primus de iure belli scripsit, quem postea expilavit Grotius; atque duobus impr

mis operibus: *De Indis* noviter inventis, et *De iure belli*, ita enucleavit

... simul et civilia iura  
Et quae sint belli: neque enim *Mars legibus*  
[orbus];

ut «Iuris internationalis» tamquam institutor habendus sit.

Is itaque in utroque praedicto opere, nonnulla gravissima enuntiavit quae sita atque egregie solvit, quae aliquando discutienda erunt, velint nolint quidam retrogradi homines. E quibus quae sita pauca hic seligimus, unde appareat quam ignorantia laborent qui Ecclesiam ut libertati populorum infensam calumniantur. Sunt igitur haec:

a) Diversitas religionis non est iusta causa belli;

b) Imperii amplificatio non est iusta causa belli;

c) Principis gloria aut aliud commodum non est belli iusta causa;

d) Iniuria accepta est unica et sola causa iusta ad inferendum bellum;

e) Iniuria quaelibet et quantavis non sufficit ad bellum inferendum;

f) Bellum ut dicatur iustum, non semper est satis principem credere se habere iustum causam;

g) Belli iustitia summopere et magna cum diligentia examinanda est;

h) Subditi an teneantur examinare causam belli, et quomodo si subdito constet de iniustitia belli, non liceat ei militare, etiamsi princeps imperet;

i) Subditis, si habeant conscientiam de iniustitia belli, non licet sequi bellum, sive errent, sive non;

k) Senatores, reguli et, universaliter, omnes qui admittuntur, vel vocati, vel etiam ultro venientes, ad consilium publicum, vel regis, tenentur iniusti belli causam examinare;

l) Princeps, sive subditus, qui ex ignorantia secutus est bellum iniustum,

si postea constiterit ei de iniustitia belli, an teneatur restituere ...

Ita Franciscus de Victoria in suo *De iure belli*.

Utinam togati omnes quae sita huiusmodi in memoria retinerent, secum pensarent, ex iisdem facta iudicarent!

Pauca haec ex multis selecta manifestant satis quantum addiscendum omnibus foret de iure belli, conscientiam omnium pedetentim efformante illo Tribunal arbitratus.

I. I. BERTHIER.

## De aviatione

Ad Almae Romae Moderatorem.

Dulcissime rerum,

Tu semel atque iterum, voce atque litteris a me enixe postulasti, ut breviter de arte illa recenti verba facerem, quam novo quoque nomine *aviationem* adpellamus. Cur vero te diutius patiar exoptare? Augustae Taurinorum moror, ut scis, ac propterea haud velim tibi esse molestum, si, arrepta occasione, praesertim de schola dixerim, quae iamdiu ibi aperta est publice atque florescit. Apud hanc urbem, secus viam qua ad regium viridarium itur, cui titulus est *Stupinigi*, egregium Iuvarae opus, est maxima ac celeberrima militum schola, atque in vico qui cognominatur *Mirafiori*, regalium olim deliciarum locus. Huc nimirum ex omni Italiae regione convenient milites illi, qui ingenio pollent atque in optimam regni spem crescunt, ut in aviatione se se potissimum exerceant. Taurinenses vero, quum aer est serenus et caelum placidissimum, uno eodemque temporis momento, veluti hirundines pilantes, aequatis pen-

nis, libere discurrunt, aerooplanos complures, alios alio peregrinantes, cernunt, qui, ut olim «quum dea se paribus per caelum sustulit alis» manu militum ad dissitos martis campos diriguntur. Ex hoc facile coniicere potes hic rem iam non esse de solo caelo obtinendo per volatum, sed potius de rerum omnium potentia, quae ad bellum apud recentiores spectare videntur. Evidem velim vivas hinc ducere voces, rotundoque ore, imo sublimi, rem nobilem graphicè ob oculos tibi ponere, ut, quoad eius fieri poterit, pressius, si non eleganter, atque securius omnia coniectura eruere possis.

Sed in primis unum te monitum volo. Adhuc si viveret bonus ille Horatius, quem teretes aures atque elegantes habuisse mecum fateris, daret mihi facile licentiam crudendi aliquod nomen. Ait enim:

.... Si forte necesse est  
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,  
dabo licentiam, sumptam attamen pudenter.

Quid diceret, si in tot rerum novarum cumulum incidisset, ubi non modo quaedam sumuntur e graeco fonte, sed ex gallico, eodemque anglico, neque vero tam parce detorta? Quid enim de garage pro automobilium statione diceret, quid de hangar, aeroplanorum officina et apotheca, quid denique de empennage, de gauchissement, ad aviatoris rapidum humi, et quasi aequatis pennis descensum significandum? Usus tamen unus habebit fidem, si auctor cautus erit ac tenuis in huiusmodi verbis serendis. Sic me gerere confiteor, et me in hac sententia manere tute ipse dices.

Scio equidem hac de re novissima plurimis iam uti vocabulis, sed omnia, meo quidem iudicio, huiusc inventi genera optime complectaris, quum aviationem praeter cetera dixeris. Aviatione

enim nihil aliud est quam quaedam avium imitatio, qua homines, avium morem secuti, pro alis, machinas quasdam adhibent, ut se ex humo tollant ac praepetibus pennis ad caelum librius se conferant ac pervolent.

Optime nosti, pluries homines praelclaro ingenio praeditos, vel e remotissimis tempestatibus, eo spectasse, ut quoddammodo iter sibi sternerent ad caelum. Hoc vero frustra tentasse videntur, quoniam in omnium derisum cito abierunt, atque ita factum est ut alii ab eadem re molienda prohiberentur. Icarus in primis clarissime est ad exemplum mirum in modum ab antiquis excogitatus, qui praecipit ruit in mare. Unde lepide de eo scriptum est:

Icarus icariis nomina fecit aquis.

Quae quum ita essent, haud inane cecinit Horatius:

.... Namque Diespiter  
Plerumque per purum tonantes  
Egit equos volucremque currum.

Identidem vero ad rem ipsam redierunt homines, nimium ingenio suo suffulti, ne dicam acri superbia acti. Quod autem iterum atque iterum frustra, praeteritis temporibus, homines sunt conati, haec nostra demum aetate felicem exitum habuit. Haud dicam, nec dicere equidem auserim, eo quod omnino ab re est mea, quoniam modo, quibus potissimum artibus, et, quod omnibus memorabilius adscribitur, quibus funeribus, haec nova hominum victoria, de natura nuperrime relata, polleat, sed potius quomodo ad rei militaris utilitatem adhibeatur.

Iam Leonardus ille clarissimus qui Vincii natus in Etruria, omni quidem scientia omnibusque artibus praeditus, ingenium est periclitatus, quum de avium volatu describeret, propius omnino ad recentiora inventa, spiralem excogitavit,

aliaque ad avium volatum mirifice disposita; et eo pervenit, ut nimirum aves, egregio artificio ab ipso confectae, reapse volarent.

Patres autem nostri, quum viderent, paucis saeculis post, ingenio praescripto que Roberti potissimum Montgolferii, folles, serica compositos atque aëre actos volitantes in sublime, mirum in modum huius immortalis inventi auctorem laudibus in caelum ferebant. Sed ipsa ad eam nunc perfectionem pervenerunt, ut nihil aliud iam supra desiderari queat, utque hanc nostram aetatem *ab aviatione* nobiliter adpellandam esse haud dubitaverim.

Multi tamen plus aequo hanc eamdem artem exercuerunt, et incauti mortis sibi causa atrocissimae fuere. Omnes vero, nec modo Itali, sed et exteri, ingemuerunt ob lamentabile funus Georgii Chavez, ex Peruviana regione, qui in ipso aetatis ac gloriae flore anno millesimo noningentesimo decimo, flebilis omnibus, a pago Briga in Helvetiis, superatis gloriose Alpibus in *aëroplano*, fato cessit, Oscelae apud Novariam.

Neque abs re *aëroplanum* memini; namque, mea sententia, ita esset adpellandum omne prorsus instrumentum, quod *aviationi* inservit. Sic enim autumnum dictum ab aëre primum atque a graeca voce πλάνος, quae communem originem trahit ab etymologia πλανάμαι, (errare), quod et ipsum cum planetis sideribus errantibus, vagari in caelo videtur.

Haec itaque novissima machina vapore illo potissimum acta, quae benzina vulgo dicitur, optime, uti videri licet, *aëroplanum* est dicenda. Haud desunt qui *aëroplanum* ita vocari velint, ut naves olim velivolantes adpellabantur, et mare velivolum Andronicus ipsas vocavit.

(*Ad proximum numerum*).

SUBALPINUS.

## Ad B. V. Mariam oratio iunioris scholastici

*Opem, Maria, perpetem  
afferre prompta, supplicis  
audi precem scholastici,  
quem pensa vexant improba.*

*Apostolorum gestio  
obire quondam munera,  
postquam latinas novero  
graecasque rite litteras.*

*Sed heu! piget pervolare  
quae Caesar et quae Tullius  
scripsere, quaeque Horatius  
fudit Maroque carmina.*

*Aversor et Sallustii  
ac Livii volumina,  
parumque me Lactantius  
delectat aut Prudentius.*

*Molestiora ceteris  
sonant Achiva nomina:  
Homerus et Demosthenes,  
Plutarchus et Chrysostomus.*

*Ah! cur Babelis ardua  
non ante Turris corruit,  
quam pullularit multiplex  
sermonis hinc diversitas?*

*Vos o beata tempora,  
queis una lingua notuit,  
nullo labore filiis  
cum lacte matris indita!*

*Sed cum sinistri saeculi  
ferenda sint incommoda,  
forti latinos pectore  
graecosque volvam codices.*

*At tu meis conatibus  
fave, Maria; taedia  
dispelle nata; nisibus  
da robur et constantiam.*

*Da ceteris non imparem  
in disciplinis spiritum,  
Euclidis ut nec lubricus  
me Pons Aselli terreat.*

*Nec me tueri desinas,  
aetate cum maturior  
sophique nactus lauream,  
sacris vacabo Litteris.*

*Locum tamen fac principem  
colenda Virtus occupet,  
frugique vivam, candidi  
nunquam pudoris immemor.*

*Iesum fac ut medullitus  
amem, tibique centies  
Ave susurrem, nuncius,  
quo te beavit Gabriel.*

*Fac sim magistris obsequens  
alumnus atque cereus,  
nec in sodales audeam  
quod improbabilit caritas.*

*Fac e supremis denique  
scholis sacerdos exeam,  
cui sit salus mortalium  
Deique cara gloria.*

*Audisne vota supplicis,  
Maria, servi? Sentio  
audisse te, cui debitas,  
felix, rependo gratias.*

FRANC. X. REUSS.

\*\*\*\*\*

## Solatia in adversis...

*A clarissimo nostro Franc. Xav. Reuss, litteras ad eum missas ex castris Friedrichsfeld, die XVIII superioris mensis Decembris, a Georgio Tibauts, Germanorum captivo, accepimus, easque libenter edimus.*

Epistola tua, cui comes fuit Commentarius *Alma Roma* cum distichis in Benedictum XV Pont. Max., mihi meisque Sodalibus gaudium attulit, illi non absimile, quod olim expertus est patriarcha Noe, quem reverti ad Arcam vidisset columbam, ramum virentis oliveae rostro ferentem. Quotquot h̄c sumus sacerdotes et clericī paginas illas avide perlegimus, eiusque contenta cum aliis, qui in his castris captivi detinentur, passim communicavimus.

\*

Quaeris, quomodo ego meique sodales valeamus, et quae nostra sit vivendi atque agendi ratio. Huic tuo desiderio breviter faciam satis.

Castra igitur, quibus inclusi sumus, quaeque germanice *Friedrichsfeld* (campus Fridericianus) nuncupantur, haud longe distant ab urbe Wesel apud Rheenum inferiorem, spatiumque occupant quadratum, quod ex omni latere in metra circiter DCCC extenditur. Ambitus ille omnis palis circumcingitur ac retibus ex filo ferreo contextis. Aditus custodiuntur a militibus germanicis, quibus praesunt tribuni, plurium linguarum periti. Huc ego meique sodales cum praesidio dedititio gallicae urbis Maubeuge mense Septembri adducti sumus. Legio mea ex obsidione multum passa fuerat detrimenti; nam eiusdem fere media pars, paucorum dierum spatio, aut perempta aut vulnerata cecidit. Principio, numerus captorum in bello erat quindecim circiter millium, quorum fere omnes Galli. Accesserunt deinde Belgae, Angli, Indi, Nigritae, ac nuper tria millia Russorum, quos ex Siberia oriundos arbitror; quoniam, dum ceteri algent, ipsi de nimio aestu queruntur. In praesenti, recensemur h̄c omnino viginti millia, ex quibus millia circiter sexdecim catholicorum. Habitamus in amplis tentoriis, seu potius mapalibus tabulatis; pro ducibus legionum et cohortum extuctae sunt mansiones separatae, itemque pro sacerdotibus: qui postremi magna habentur in reverentia et ministerium sacerdotale liberrime sinuntur exercere. His etiam inde ab initio indulsum est, ut exstruerent ex tabulis ligneis vastiorem aulam divino cultui dicatam, quae quatuor hominum millia continere valet.

Complures h̄c adsumus Religiosi, quorum nonnulli sacerdotes: quinque nempe e mea Congregatione SS. Redemptoris,

duo e Societate Iesu atque unus e singulis, hic enumeratis, Religiosorum coetibus: Trappistarum, inquam, Maristarum, Picpusianorum, Oblatorum Mariae, Fratrum S. Vincentii a Paulo et Scholarum Christianarum. His addendi sunt nonnulli sacerdotes e clero saeculari et septem vel octo Seminaristae. Militum omnium catholicorum ego constitutus fui capellanus seu parochus maior; neque hoc munus inanis est titulus, de qua re valde gaudeo Deoque ex animo gratias rependo. Nam apostolatus noster in his castris perenni ac fructuosissimae «missioni» aequivalet, qualis a sacris Verbi paeconibus peragi consuevit. Paucis accipe, quae hic ad animarum salutem operamur, et quantos per Dei gratiam fructus colligere nobis licet.

Singulis diebus, in tabulato nostro templo, Missae celebrantur mane ab hora IV cum dimidio usque ad horam octavam, et ad sacram mensam quotidie accedunt milites plus minusve quadrigeniti. In postrema Missa, cantus sacri persolvuntur a militibus, qui tum omnem aulam implere solent, numero quatuor fere millium. Post meridiem Rosarium Mariale communiter recitatur; et hora sexta cum dimidio, preces dicuntur vespertinae: quo tempore iterum omnis aulae angulus occupatur. Infra hebdomadam, ter habentur catecheses et acroases de Religione, ad quas frequentissimi accedunt milites. Decem, qui adsumus, sacerdotes vix satis habemus temporis et virium, ad audiendas militum confessiones. Poenitentes arripiunt te vel in ipsa aula sacra, vel in scannis quae externam eius partem ambient, vel in tentorio tuo privato, vel denique per semitas in quibus deambules.

Diebus dominicis et festis, religiosus hic fervor vel magis succrescit. Eo die, duplex habetur Missa cantata duplexque

concio, quibus octo fere millia militum adesse solent. Feria sexta, cuiusque mensis prima, in honorem SS. Cordis Iesu magno concursu celebrari solet. Nuper novendiales preces, paeviae Festo B. V. Mariae sine labe conceptae, peregrimus, iisque diebus ter quotidie rusticum nostrum templum confertum vidi mus densa multitudine. Ipso die VIII Decembris, mille ac trecenti milites ad sacram mensam accesserunt. Vix autem dici potest, quanta pietate sacris illis diebus, coram statua Virginis Lapurdensis ibidem erecta, fusae sint preces et hymni decantati. Maiores devotionem vix in ipso Sanctuario Lapurdensi fervere crediderim. Vere Deus in sua providentia mirabilis est, qui etiam e causis maxime calamitosis suam gloriam et animarum salutem elicere novit!

Huiusmodi consolationibus, quae e religione hauriuntur et e caelo descendunt, sors captivorum mirum in modum sublevatur. Neque etiam desunt interdum aliae causae animi honeste relaxandi, a militibus ipsis, praesertim Gallis, excogitatae; quas inter causas, cantus et musica non ultimum occupant locum. Ipsi custodes germanici Gallorum quorumdam ingenium admirati sunt, qui ex obvia quaque sude aut tabula citharas confecerunt, ac barbita tetrachorda, sive acuta, sive gravia, sive media, quibus interdum publicos concentus celebrant, non iniucundos.

Quibus chordarum sonis accedit clangor lituorum et tubarum, quae primum capsae fuerant e laminis ferreis, servando petroleo destinatae. Memorata barbita, etsi aliena a suavitate instrumentorum quae Stradivarius fabricavit, salutari tamen hilaritate taedia captivitatis aspergunt et condidunt.

Satis tamen de nostris rebus hactenus scripsi. Vale, meique in Domino memor esto.

## Ingenuarum artium specimina


« MOYES », BONARROTI OPUS.

De statuis a Lysippo insculptis Propertius ait (*Eleg. vi, lib. iii*) *animosa signa* ea fuisse; pariterque Vergilius de pulcherrimis statuis loquens tamquam *spirantia signa* (*Georg., III*), *spirantia aera* (*Aen., IV*) refert. Re quidem vera, sculptoriae artis haec est ratio suprema, in marmore scilicet designandi atque exproprietate animum invisibilis, ex corpore, prope dicam, emergentem, suamque interiorem vitam denuntiantem. Aliis verbis, hanc sibi sculptor eximiam speciem proponit, patenter spirantemque redere individuum illam animi vitam, quae, ob coniunctionem cum corpore, in membrorum motibus et gestu, coram appetet.

Vitam dixi individuum; statuae namque pulchritudo nullam externarum relationum, nullam circumstantium rerum habet rationem; ad gestum et formam figurae unice intendit, quasi ad animi gestum et formam in corporis motibus. In summa, sculptoris speculum animus est relate ad corpus sensu affectum; ita ut eo perfectius atque nobilius aestimandum sit sculptorium opus, quo

clarus in marmoris forma reddat mirabilem illam humanae naturae unionem substantialem, per quam animus atque corpus hominem efformant, panditque vita unici illius *ego* vegetantis, intelligentis, volentis.

Quibus positis, quis neget per Moy-



sem suum Bonarrotum sculptoriae artis suprema attigisse? Hebraeorum dux atque legis lator vivus videtur; tanta perititia caro, musculi, nervi, ossa ceteraque membra effecta ab auctore sunt. Cui quidem ipsi ita spirans apparuit, ut quum

eum contemplaretur, malleum quondam in eius genu percutiens exclamaverit: « Ecquid non loqueris? » Tantam ille summae perfectionis imaginem animo et cogitatione conceperat!

X.



## VETERA ET NOVA<sup>(1)</sup>

### De *Globulis* vulgo *Gnocchi*.

Commentarius noster, ALMA ROMA, pro viribus satagit ut Latii lingua in honore habeatur, et, quantum tempora sinunt, a doctis eruditisque viris longe lateque propagetur. Ea de causa curam non ultimam ponit in eo, quod nova inventa ab humano ingenio, quaeque antiquis vel partim vel ex toto fuere ignota, conetur latine dicere: nec sine aliquo litterarum latinarum emolumento ac lectorum oblectatione id hactenus fecisse arbitror.

Sed praeter nova inventa occurrunt quaedam certe antiquis usitatissima, quorum tamen vocabulum vel periit, vel adeo per vernacula linguam transformatum ad nos usque pervenit, ut difficile illud ipsum esse, quod antiqui usurparunt ad eandem rem significandam qua nos utimur, dignoscere possimus. Obvium exemplum, iamque in nostro Commentario festive delibatum, propo-nam. Igitur de re coquinaria, nempe de pastillis, vulgo *maccaroni*. Relegantur, si placet, quae de iis dictum est in fasc. I an. I, pag. 16.

Id genus edulii, tam in rebus Neapolitanis famigeratum, porro ad nos nomen suum non transmisit: et nemo potest du-

bitare fuisse huiusmodi escam popularissimam in usu etiam antiquitus apud Neapolitanos. Nec minus in usu fuisse affirmo famigeratos *globulos* Romae, qui praesenti tempore vulgo *gnocchi* dictitantur.

Dicere sed *gnoccos* lingua latina vetat. Sic cecinit lepidus quidam auctor laudatus illos quos nomine *globulorum* nunc designo. Fuerintne ita denominati ab antiquis? Rem attentius vestigans videor mihi competrerre non alio nomine compellatos. Et re quidem vera videamus qua ratione complura substantiva nomina latinorum in linguam vernaculam sive italicam immigrarint: *vetulus* = *vecchio*; *foeniculus* = *finocchio*; *baculus* = *bacchio*; *situla* = *secchia*; *oculus* = *occhio*; *speculum* = *specchio*; atque ita porro. Hinc in plurali numero oculi = *occhi*; *foeniculi* = *finocchi*; *vetuli* = *vecchi*,... etc. Qua analogia utentes ita de voce *globulus* disseremus: *globulus* per se dabant *globchio*; et in plurali, *globchi*; *globchi* vero per obviam assimilationem *glocchi*; qui iterum in ore populi facile mutarunt primam duriusculam syllabam *glo* in *gno*; unde habuimus denique italicum *gnocchi*.

Ceterum sive probetur ista etymologica derivatio, aut potius transmutatio, sive improbetur, fruantur (quod faustum felixque sit) mei amici lectores ad multos annos famosis istis *globulis* romanis!

Castri Gandolfi ix Kal. Ian. MCMXV.

JOSEPHUS BONAVENIA, S. I.

## ANNALES

**Europaei belli actio** in superiore mense Decembri MCMXIV ad orientem versus et in mari praecipue agitata est. Quamquam enim ab armis inter Franco-Belgas et Teutones minime recessum est,

non tamen eventus peculiari mentione digni hinc inde facti sunt. Non ita inter Teutones et Russos, atque inter Austriacos et Serbos. Res, satis implicitas, per ordinem referre studebimus.

Ineunte mense, ea erat rerum condicio, ut Hindenburg, Germanicus dux, suo exercitu ab hostium circumclusione liberato, Lodz et Przczaszycz urbes occupare valeret, atque simul impedire, quominus hostes in orientalem Borussiam irrumperent; dum interim Austro-Hungarici eos longe a Przemysl oppido et a Cracovia urbe retinenter, et ab ipsa Hungaria per Carpates montes, ubi, amissis Hommona et Dukla locis, Russi decertant acerrime, quo transitum saltum unum sibi liberum servent. Post dies aliquot, castra Germanica videmus, ad fines Soldau-Neidemburg producta, iterum Mlava minari; Russica autem, non sine aliquo fructu conari, ut Austrorum compressus repellant. Quod quidem, novis additis copiis, ita tandem effecisse videntur, ut nuncientur hodie Austriaci in Gorlice regionem sese recepisse.

Atqui maioris momenti, quae inter Serbos acciderunt et Austriacos; quos non longe a Bellogrado reliquimus, quo reapse victores pervenerunt. Tum vero eorum fortuna mutata est. Quum enim Franck dux, quem captam urbem munire oportebat, copias suas cum Potjorek collega, Valjevo ad Kragujevac procedente, opportune coniungere nequivisset, hanc occasionem nacti Serbi, collectis undique militibus, eos praesertim qui Bellogradum dereliquerant, impetum in Potiorecanum exercitum apud Gornum fecerunt, eumque ad receptum coegerunt. Ita Bellogradum — Franck namque inutili sacrificio suos offerre iure noluit — post paucos dies liberata est a Serbis, qui vestigiis hostem sequuti sunt acriter. In locum Potjorek ducis,

Eugenius, regalis Archidux, ut meridionali exercitui praesit, ab Imperatore suffectus est.

De contentione autem inter Russos atque Turcas, quae inferiorem latissimi belli campum constituit, varia semper et incerta est notitia. Si tamen verum est quod Russi ipsi edicebant, offenditionem se ad Sarikamisch suscepisse, qui locus in Russico solo est, facile colligitur, Turcas Russorum fines reapse transisse.

Ad mare denique oculos nostros convertentes, damna a singulis prope belantibus obita occurrunt. Germanici apud Falkland insulas ab Anglica classi naves quattuor submersas habent; ipsi vicissim Anglica Europaea litora cum cursoriis navibus quattuor furtim ac feliciter appropinquant ad Hartlepool et Scarborough, eaque igniferis tormentis offendunt. Turcis loricatam navem *Messudié* in Hellesponto subaqueus Anglicus linter audacter destruit; Austro-Hungarici, per subaqueum pariter linternem, Gallicam loricatam navem unam valde pessumdat; quumque ex arce Poliae loricatam, Gallicam et hanc, navem detexerint, deprimunt. Denique Angli cursorium aliud navigium, *Formidable*, improviso incendio, — qua de causa exortum ignoratur, — deperdunt.

Hisce eventibus, civiles alii nonnulli addendi sunt: et Gallorum gubernii sedes pro tempore Lutetiam Parisiorum restituta, ubi publicus legatorum coetus legibus ferendis congregatus est; et Aegyptus sub patronatum suum ab Anglis tradita, dimisso Abbas Hilmi, prorege, Mahumetanorum fautore, eique Ka-Mel-Hussein, Sultani nomine substituto; denique Christiani Summi Pontificis Benedicti XV conatus, ut induciae die saltem Dominicæ Nativitatis admitterentur, qui tamquam pacis symbolus per orbem universum recolitur; utque

(1) Hoc titulo designari placuit argumentorum series, in qua de *neologismis*, nempe de novis vocabulis inducendis ad novas res latine exprimendas, peculiariter agetur. - A. R.

inter bellantes nationes fiat captivorum permutatio, qui ob accepta vulnera impares evaserint armis in posterum sumendis. Quod si nobile alterum incoepit perfici, heu! nequivit, haud vana, contra, spes concipienda est fore ut finem suum sanctissimum, alterum assequatur.

\*\*

Iamvero aliud bellum, idque civile, exeunte mense Decembri, pugnari coeptum est in **Albania** illa infelicissima, quae sibi aliquis tot incommoda hue usque procuravit. Quod ad compescendum, neve Valona usque ad oppidum flagraret, in discrimen adducens Europaeos cives illic commorantes, Italorum nautarum primum, ac deinde veletum agmen, in oppidum ipsum descendit. Essad interim princeps apud Tyram contra rebelles digladiatur.

\*\*

Tanto luctu concluditur annus MCMXIV; faxit Deus ut qui hodie est exortus, longae atque serenae pacis munera sit posteris commendaturus!

Kal. Ianuariis MCMXV.

POPULICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Annus qui ingreditur mihi suadet, ut **nonnulla de chronologia** horam nostram occupent hodie. Ne tamen quis credat fore ut in abstrusa huius disciplinae me ingurgitem atque inter impervios eius recessus lectores meos traham; quinimo simpliciter et per elementa rem, meo more, expediam. — Aulaeum igitur statim dimoveatur, temporisque spectaculo fiat initium.

Cuius quidem temporis enumerationi aditum *Epocha* praebet, quae etiam *Aera* dicitur. Quaenam huius vocabuli origo? Nonnulli ab aere putant, quasi vero Augustus in primo censu imperaverit, ut aes populo Romano daretur. Ego vero magis illis assentior qui vocem a litteris initialibus quorundam verborum deduxerunt. Quando scilicet in honorem Augusti Caesaris annos ab eo numerare veteres volebant, scribebant: A. ER. A, hoc est: *Annus erat Augusti*; quibus ex litteris contractis *Aera* facta est.

Aerae variae distinguuntur: aeræ conditi mundi sive aera mundi Iudaica; aera diluvii; exitus Israëlitarum; annorum Sabbaticorum et Iubilaeorum; excidii Troiani; constructi templi Salomonis; Olympiadum; Romae conditae; Nabonassaris; Philippi et obitus Alexandri Magni (hae enim amice conspirant); Nativitatis Christi; Indictionum; Arabum seu Turcica; Hegira; aera Ietzardigis seu Persica, et praeter has, aliae. Inter omnes constat aeram conditi mundi et nati Servatoris, videlicet creationis et redemptionis, familiam ducere.

De epocharum exordiis non est hic disserendi locus; iuverit tamen ea adnotare et sub oculos ponere iuxta decursum mensium nostri kalendarii. A kalendis Ianuariis incipiunt periodus Iuliaca, aera Hispanica, Christi Dionysiana hodierna, agones Capitulini; a mense Februario anni Augustiani; a Martio aera Seleucidarum Iudaica et Chaldaica, aera a Dionysio mathematico constituta, et a caede Caesaris; ab Aprili anni exitus ex Aegypto et ab Urbe condita; a Maio anni templi Hierosolymitanus, et Encaeniorum Constantinopolitanorum; a Iunio anni excidii Troiani, et periodi Calippicae; a Iulio Olympiades et aera Iphitea; ab Augusto aera Actiacae victoriae; a Septembri Indictiones, Septimanæ Danielis — (quas nonnulli Martio

mensi assignant) —, aera mundi Graecorum; ab Octobri anni Iubilaei et Sabatichi, et periodus Iudaica; a Novembri aera Machabaeorum a repurgato templo. Nullam aeram cognoscismus Decembri mensi adscriptam.

Ab aera descendere licebit ad temporis species; et primo maiores; quo nomine quae annum excedant intelliguntur. Tales sunt *annus mundanus*; sive *Platonicus*, intervallum nempe temporis quo omnia astra ad idem punctum redeant, unde semel profecta sunt; *annus Methonis*, cuius meminit Cicero in epistolis ad Atticum, ex annis undeviginti constitutus. Adde *saeculum*; centum annorum tempus, iuxta Varronem a senibus deductum, quod veteres longissimum humanae vitae spatium tot annorum putarent, inter ortum et obitum. Praeterea *Olympias*, quae complectitur quadriennium, apud Graecos ab uno ludo in honorem Iovis Olympici ad alterum. Notandum hic ab Iphito, instauratore huius agonis Olympici, nomen habere aeram Iphitis, ita ut Olympiadis undecimae primus annus sit Iphiti annus quadragesimus primus. Nec satis; habetur enim quoque *Lustrum*, *Cyclus solaris*, *Aureus numerus*, *Indictio Romana*.

*Lustrum* apud nos quinquennium vulgo continet; verum non de perfecto quinquennio, sed iam demum incepto apud Romanos usurpatum fuisse ex Ovidii versibus illis intelligi potest:

*In Scythia nobis quinquennis Olympias acta  
est,  
Iam tempus lustri transit in alterius.*

Varro lustrum a luendo dedit, hoc est solvendo, quod quinto quovis anno vectigalia et alia tributa per Centesores solverentur. Isidorus autem a lustrando, quod, censu peracto, Roma lustraretur. Istuc referri potest *Cyclus solaris*, spatium scilicet viginti annorum,

quo omnis *litterarum Dominicantium* varietas ad primam originem devolvitur. Qua quidem littera dominicali in Christiana ecclesia singuli eiusque anni dominici dies designantur, ratione quae sequitur: Signatis septem primis anni diebus per septem alphabeti litteras A, B, C, D, E, F, G, quae littera illorum septem dierum in dominicum incidit, eadem est quae dominicos omnes dies per annum indicabit. Verum quum anni dies (365) per septem (litteras dominicales) dividantur, dies unus restat; inde fit ut insequenti anno dominicus dies ea signetur littera, quae litterae currentis anni antecedit. Bissextilis autem annis, altero die addito, litterae regressus duplex fit, ac proinde binae litterae dominicales illis annis, notantur, quarum altera suo officio fungi incipit die vigesima quinta Februarii, aut sex diebus proxime sequentibus. Si denique bissextili anni haud computarentur, dominicalis littera eadem post annos septem revertetur; eorum vero ratione habita, post annos viginti et octo (annos scilicet solaris cycli) tantum revertitur.

*Aureus numerus* spatium est annorum novendecim et partes Methonii anni indicat. Qui quidem Metho, Atheniensis astronomus, saeculo a. C. v, quum reperisset lunaris anni initium cum solaris undevigesimo quoque anno incidere, inventio huiusmodi ita accepta est, ut anni huius periodi in lapide aureis litteris insculpti fuerint. Inde annus cycli lunaris aureus numerus dici coepit.

*Indictio Romana* annorum quindecim spatium complectitur; eiusque origo multifariam declaratur, quamquam omnes consentiunt, eam ex tributorum assignatione esse repetendam. Romani — alii scribunt — omnibus nationibus tributum indicebant annis singulis; sed quoniam nonnullae remotissimae erant, praescripserunt illis annos quindecim, ut

tum Romae comparerent et solverent. Sunt qui putant, statutum fuisse a Romanis ut populi singulis lustris ad solvenda tributa Romam venirent, primo autem lustro ferrum, secundo argentum, tertio aurum allaturi; et ita indictionem quindecim annorum quasi circulum fuisse, quod ab auro ad ferrum rediret. Putant alii, quia post censem, quolibet quinquennio peractum, Roma lustrabatur, ad indicium ternae lustrationis et census eam esse excogitata, et quidem ante natum Christum, iuxta Dionysium et Bedam; iuxta alios Olympiade CLXXXIV ab Augusto Caesare.

Sed vulgo inductionis introductio Constantino illi Magno tribuitur, qui post Tiberinam de Maxentio victoriam ipso anno CCCXII tributorum distributiones in singulos annos quindecim edixit; certe ab anno illius decreti progredimur ad Romanam inductionem nunc designandam, iuxta satis notum distichon illud:

*Si, tribus adiunctis, Domini divisoris annos,  
Ter tibi per quinos indicio certa patebit.*

Scilicet, divisionis quotiens inductionem designat; reliquum, inductionis annum. Sic annus MCMXV incidit in XIII<sup>um</sup> inductionis CXXVII. Cycli autem solaris numerus est XX, aureum numerum hoc anno habemus XVI, litteram denique dominicalem C.

\*\*

Iam ad species temporis minores (annum - menses - hebdomades - dies - horas) mihi esset deveniendum, nisi persuasum haberem spatiū ultro concessum iam me excessisse. De iis itaque quid sim dicturus ad Ianuarium mensem anni MCMXVI exspectetis, lectores, quos sospites et incolumes omnes me ominor etiamtum inventurum. Quin etiam, si vota mea Deus exaudiverit, ah! quam longe vita vestra producetur! Hoc enim

pro vobis auspiciū meum: *Felices vivite saeculum!*

### Iocosa.

Ebrius quidam birotam velocissimam obequitans, in viatorem offendit, qui in eum iure increpat:

— Num orbus es, pessume?

— Quinimo duplicita quum videam, inter duos vos transire cupiebam.

Servus navus.

— Ehus tu, Maevi, cura ut eras antelucana hora quarta me somno excites; mihi enim proficiscendum mox est.

— Tranquillo somno fruaris, mi domine, atque securum tene, me, ubi primum tintinnabulum pulsaveris, statim evolaturum ad somnos tuos abrumpendos.

### Aenigmata.

I. (vulgo *Rebus monoverbum*)

S

no no no

II.

Quid *primum*? Iam pecunia.

Quid *aliud*? Pars corporis.

Quid *totum*? Lector candide,

Tuos ipse vultus indicat.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Nex, Nix*; 2] *Lac-rima*).

IOSFOR.

### Librorum recensio.

*Latin Songs, ancient, medieval and modern, with Music*, edited by CALVIN S. BROWN. — G. P. Putnam's sons New York and London. The Knickerboker Press.

*Uxori meae* — quae et melodiam dulcem — et dulcem linguam latinam — amat. Haec dedicatoria verba ab auctore huic concentuum collectioni eleganter praemissa, iam ab exordio non mediocrem et melodiae dulcis et dulcis linguae latinae cultorem insinuant. Qui

vero integrum volumen attente pervolverit, agnoscat opus stare promissum.

In 132 nitido typo paginis D. Brown chronologico passim ordine veteribus nova, profana sacris permiscebat. Quotiescumque latina carmina ab alio idiomate sunt translata, originalis additur textus. Quin et Catulliano carmini *Ultima dicta ad Lesbiam*, quum Sapphicum imitatur, adnectitur carmen graecum, quod et rhythmo nomen dedit.

A carminibus classicis, tribus Catulli, duodecim Horatii exorsus, editor liturgicos cantus inducit Ambrosiano hymno *Splendor paternae gloriae*, quem sequuntur plures hymni sacri concinne selecti, gregoriano passim stylo expressi. Hic autem, si carmina collectorisque laudo solertiam, non possum quin meliorem musicam formam desiderem. Ecquid auctor textum in media actate vigen-tem, rhythmumque nostris temporibus tam feliciter instauratum neglexit?

Levi pariter negotio auctor potuisset, illaeso ordine chronologico, iuxta positiones quasdam devitare quae reverentem lectorem hic illic aliquantulum offendunt. Ita inter mysticos cantus *Iesu dulcis memoria* et *Salve Regina* strepitat illud sat profanum, ne dicam plateale festum asini (*prose de l'âne*); bacchico carmini *Meum est propositum in*

*taberna mori* immediate succedit funebre *Dies irae*; post alterum cantum *in laudem vini* resonat austerus psalmus *Miserere*.

In ultima parte voluminis D. Brown colligit plurimos nostrorum temporum cantus apud Anglos et Germanos vulgatos. Translationi latinae, passim elegantia ac fidelitate praestanti, textus originalis adnectitur, non semel adiuncta alia versione graeca. Ita initium popularis cantus *Morgen muss ich fort von hier* sonat: *Cras migrare debo*; suavia carmina Goethiana: *Es war ein Koenig in Thule, Sah ein Knab' ein Roeslein stehn* inchoant verbis: *Rex Thule pia cura, Videl puer rosulam*; elegans fabella *Die Lorelei*, quam solent navigantes in flumine Rheno decantare, dum solemani moli rubrorum saxonum adpropinquant, latine incipit: «*Ignoro quid hae sibi velint meae tristitiae*». Carmina *Decretum est Altissimi, O abies, o abies!* redundant sonora illa: *Es ist bestimmt in Gottes Rat; O Tannebaum, o Tannebaum*. Nec deest bellicosum carmen *Die Wacht am Rhein, Custodia Rhenana*, ab Anglorum sane, sicut et Belgarum finibus summo dehinc nisu arcendum. An et cum illo volumen depellent totum, utpote nimis *made in Germany?*

L. JANSSENS, O. S. B.

## ROMA SACRA

### Acta Benedicti XV P. M.

*Litterae ad Desideratum Card. Mercier, archiepiscopum Mechlinensem, Belgiae nationis tristem lugentes condicionem, Petrianae stipis colligendae propositum laudantes atque voluntatem Pontificis declarantes ut ea populi necessitatibus solebantur cedat.*

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quum de fidelibus universis a Divina Providentia Nostrae curae commissis paternam sollicitudinem habeamus, ideoque tum res prosperae tum praesertim

adversae sint Nobis cum eisdem communes, fieri non poterat quin moerore gravissimo afficeremur, Belgarum nationem, sic Nobis dilectam, conspicientes acerbissimo ac calamitosissimo bello in condicionem prorsus lacrimabilem adductam. Videmus enim ipsum Belgarum Regem, augustam eius Familiam, eos qui rem publicam administrant, optimates, episcopos, sacerdotes, populum universum talia perpeti, quae cuiusvis animi ad pietatem informati, Nostrique in primis peculiaris paterna caritate flagrantis, miserationem commoveant. Nobis igitur, qui moe-

rore angimur et luctu, nihil esset antiquius, quam tot tristissimorum eventuum tandem conspicere finem. Quem utinam properet misericors Deus! Interim tantas lenire aegritudines Nos quidem pro viribus contendimus; ideoque illud Nobis summopere placuit et publica gratulatione prosecuti sumus, dilectum Filium Nostrum cardinalem de Hartmann, Coloniensem archiepiscopum, impetrasse ut ex captivis in Germania degentibus, tum Gallicis tum Belgicis, quotquot invenientur presbyteri haud aliter quam praefecti militum tractarentur. Quod vero ad Belgicam potissimum attinet, proximis hisce diebus Nobis allatum est fideles nationis eiusdem in tanta rerum perturbatione non desinere oculos animosque ad Nos convertere pios, eosdemque, sint quamvis licet calamitatibus obruti, id sibi propositum habere ad sublevandas Apostolicae Sedis necessitates, non secus ac superioribus annis, gravissimis etiam his tempestatibus Petriana colligere stipem. Quod profecto pietatis caritatisque erga Nos singulare testimonium et summo opere admiramus et ea, qua par est, benevolentia gratoque animo, complectimur. Sed gravem aerumnosamque conditionem considerantes in qua dilecti filii misere versantur, animum nullo modo inducere possumus ut eorum proposito, quamvis nobilissimo, obsecundemus: stipem vero, si qua corrogari potuerit, in auxilium vo umus impendi populi Belgici tam miseratione digni quam nobilitate ac religione conspicui. In iis autem, quibus isti dilecti Nobis filii optimuntur difficultatibus et angoribus, eorum animos illud recreet, quod neque abbreviata est manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiatur. In spem, vero, divini auxilii ipsa eos proximorum dierum erigat ratio, quibus Domini natalem diem celebrabimus pacemque recolemus quam Deus per Angelos suos hominibus nuntiavit. Eorum quoque aegros lugentesque animos reficiat ac soletur paternae dilectionis Nostrae testimonium, qua Deum enixe deprecamur ut universae Belgicae nationis misereatur eidemque omnium bonorum copiam volens propitius effundat. Quorum auspex apostolica sit benedictio, quam omni-

bus et singulis, tibique in primis, dilecto Fili noster, amantissime in Domino imperitius. — Datum Romae, apud S. Petrum, die Dominae nostrae Mariae labis nesciae sacro, anno MCMXIV, Pontificatus nostri primo.

#### Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis.

*Pro captivis saevientis nunc Europaei belli.* SS. D. N. Benedictus PP. XV, quum vehementer doleret et angustias, quibus misere afficerentur innumerabiles homines teterrimo hoc bello capti, et anxietates, quibus eorumdem familiae idecirco premerentur, quod diu penitus de suis ignorarent, quum secum animo reputasset, quo pacto utrisque proficitate solacium auxiliumque afferre posset, per S. Congregationem Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis curandis, ea quae sequuntur decrevit, die XXI mens. Decembris MCMXIV:

I. Ordinarii dioecesum, ubi captivi versantur, quam primum sacerdotes eligant ut curam captivorum gerant, unum aut pro necessitate plures, eorum linguae satis peritos; quos, si nullos habeant intra dioecesis suae fines, ab aliis Ordinariis mutuentur. Hi vero libenter idoneos suppeditent.

II. Sacerdotes ad id munus electi nihil reliqui faciant quod ad captivorum utilitatem, tum animi, tum vitae corporisque, pertineat: consolentur, assideant, a necessitatibus variis — iisque interdum acerbissimis — allevent.

III. Exquirant praesertim et percontentur, utrum litteris, an alio modo, captivi familias de se certiores fecerint. Quod si negaverint se fecisse, suadeant ut saltem apertas chartulas tabellarias (*vulgo cartes postales*) statim mittant, quibus suos de propria valetudine doceant.

IV. Verum, si captivi, aut imperitia scribendi, aut ex morbo vel accepto vulnere, aut quavis alia de causa, ab simili litterarum commercio prohibeantur, sua ipsi manu delecti sacerdotes, eorum vice ac nomine, caritate permoti, scribant, et diligenter studeant, ut epistolae eo tute perveniant quo destinantur.

## FRIDIANUS SIVE De incondito adulescente<sup>(1)</sup>

FRID. — Culpa istaec Municipum, quibus unice vectigalia cordi sunt; quibus exactis, cives abeant in malam pestem! Currens pedatum in volutabrum inieci, quod suo rore sic me liberaliter conspersit.

CAL. — Viden' si praecausto opus est?

FRID. — Alias, quaequo, me increpes; iracundia enim oculis obsistit, et...

CAL. — Sileat igitur pater! Huccine saeclum! Accipienda patri et mussitanda iniuria est!

FRID. — Minime quidem: accipienda altera femoralia unice sunt, eaque foedatis substituenda.

CAL. — (Oculissimus! Lepido dicto me vincit!) (*Fridiano subridet*).

FRID. (*Stasimo*). — Euge, cochlea, adduc quae mihi necesse sunt femoralia.

STA. — Ubinam inveniam?

FRID. — Unguis in oculos tibi involem, quo melius videas?... Nonne adhuc certus es, pater, nihil imperii esse iam mihi in bucconem hunc?

CAL. — Nescit reapse Stasimus ubi nigra altera femoralia reposita sint; ipse apportabo... (*Exit, redditque suo tempore cum femoralibus*).

FRID. — Servus servi factus. — Numne, verberabilissime, recusabis mihi afferre peniculum ceramque sutoriam?

STA. — Imo calceamenta altera, munda iam atque terfa suppeditabo.

FRID. — Neutquam haec: quos enim soccos indui, unice ad rem mihi sunt.

STA. — Ipse igitur hosce abstergam.

FRID. — Impurum ego istud os tuum chalcantho abstergam, nisi quae iussi illico perfeceris. Propera, et cave nihil iam ultra mutire audeas!

STA. (*exiens*). — (Heu tibi, Stasime miser; per annonam caram es natus!)

CAL. (*altera femoralia porrigens Fridiano*). — Euge, en tibi femoralia.

FRID. (*post prothyrum iterum sedit, soccos et femoralia exuit, eaque incondite longius abiicit; perpropere femoralibus a patre nuper allatis se amicit, atque discaleatus progreditur foras*). — Ii vos estis, qui hilum paveatis. Mihi contra, si quid adversi acciderit, remedium semper est in promptu. Quum autem negotium aliquod sumo, idem tam brevi tempore expedio, quod alius quisquam ne in cogitando quidem posuerit.

CAL. — Pedes in soleas saltē immitte...

FRID. (*exsequitur*). — Morigerus tibi esse volo, quamquam haec res superflua, quum solum tapeto sit constratum.

STAS. (*revertitur*). — Accipe quae iussus es; peniculum, ceramque sutoriam. Adidici cultellum, quo lutum eradetur.

FRID. — Nihil ecastor est, quod facere mavelim,... pultifage! (*Inurbane arripit omnia, soccosque extergere incipit*).

STA. (Nullam rem unquam sobrie accuratur cum puer hoc. Quidquid moveo, nil promoveo... Ah! si hunc patrem non haberetis!...)

CAL. — Videamus interim num quid in depositis femoralibus forte reliqueris. (*Sinus inspicit, revolvit; nihil vero in iis invenit*).

FRID. (*eiulans*). — Oi! Au!

(1) Cfr. an. I, fasc. VII, pag. 139.

CAL. et STA. (*simul*). — Quid nunc?  
Quid?

FRID. — Vae! Infligi digito cultellum.

CAL. — Istud incaute properis intervenit.

STA. — Si me soccos mundare siveris...

FRID. — Te, si ultra loquaris, adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut, dum vivas, semper mei memineris. Tu autem, pater, discas quomodo omnia sine strepitu illico a filio tuo sarciantur. (*Extrahit album sudariolum quod Calogerius inter pectorale et indusium gestat, eiusque in tegumento vulneratum digitum involvit*).

CAL. — Ehi mihi! Sudariolum ex Baptista tela!... (1)

FRID. — Aliud capias a Titio quovis alio...

CAL. — Quae haec factio est? An me pro ridiculo ac delectamento putas?

FRID. — Puto aequi bonique verba mea te facere nunquam, eademque rapere semper in peiorem partem...

CAL. — Acerbum est, pro benefactis, mali messem metere, et quidem a filio!

FRID. — Ecquam malam messem? Aliud sudariolum!... Ceterum si erravi, veniam peto... dum effati illius veritatem tibi ostendo: Citius quam formicæ papaver. Eamus nunc? (*Dum haec inter se pater et Fridianus loquuti sunt, hic soccos iterum pedibus aptavit, manus lavit, linteum... in catillum demersit, peniculo... ipso sutorio vestibus pulvrem averrit*).

CAL. — Sit, cum diis benevolis. — Tu, Stasime, aedes diligenter asserva. Tene imprimis quod, me absente, neminem volo intromitti.

STA. — Securus abi, domine mi. Fores ambobus pessulis occludam.

(1) *Baptistina* vulgo appellatur tela subtilissimis filamentis consuta.

FRID. — Nae, graphicum habemus servum, et quantivis pretii!

CAL. — Neutquam haec, Stasime; sed tantum clavem obducas. Immo abducas; nos enim ad multam noctem revertemur, nostramque clavem habemus, qua ingredi liceat.

STA. — Fiet. Bene interim vobis!

FRID. — Fiet etiam, nisi in suo quidque loco erit, quem nos revertamur, ut te monumentis commonefaciam bubulis.

STA. — Aedepol, herule mi, quod principium incipiam ad animum tuum mihi conciliandum, profecto nescio! Meus ne tibi ipse conspectus est invisus?

FRID. — Rem acu tetigisti!

CAL. — Ne credideris, Stasime; sibi enim hisce dictis moram creat.

STA. — Atque tamen hisce dictis me conficit!

FRID. — Accede huc, oculissime, ut tibi caput demulceam!

CAL. (*Fridiano*). — Beaveris, si me in pilentum praecesseris.

FRID. — Ne tamen ut exspectando gliscat rabies, cave.

CAL. — Obligavero crus Aesculapio, Apollini brachium, si hoc incendium compescere valueris!... (*Fridianus exit; Calogerius sequuturus est, sed prope ostium it redditque ad Stasimum, alia de re domestica commendans*). Fac ut offendamus parata omnia, si quum rediverimus obsonii quidquam nobis occurrat... Salsamentum aliquod macerare poteris et apparare, sed multa aqua... Aedes niteant, precor... Et si tibi ab hisce rebus aliquid otii superfuerit, argentum eluito, idem extruit.

STA. — Effectum dabo. Sarta enim tecta tua praecepta usque habui.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

## DE SINENSIO FORTUNA AUSPICE CHRISTO

Quum nostrum hoc saeculum oriretur, duos maxime eventus cursum eius a spicari vidimus, adeptum scilicet per velivola, aëreasve naves, aëris dominium, ultimorumque Sinensium ingressus in communem humanitatem. Quae res — aut ego fallor — quamvis longe dissitae videantur, non tamen eas sine conne xione evenisse teneo. Illa namque sedatio novissima, quae Pugilum cladibus orta est, dum emensem tot saecula imperium evertit, non tantum in fines eius, antiquitus in violatos, popularium regiminis morem inauditum invexit, quam potius nostris maxime legibus atque sensibus imbuit gentem toto caelo seiunctam, quae hue usque mordicus alienae humanitati restiterat. At simul susceptus tandem aëris dominatus faciliter vaticinio spondebat properare maxime diem, qua sacri hactenus omnium gentium fines uno eodemque fato abolererentur, patentibus nempe caeli viis, quas vallo aut fovea nemo unquam prohibebit. Quod sane vaticinium Victorem Hugonem poetam tradunt effatum, quum olim Lutetiae caelum concendere Montisgolferii chartaceum illum globum adspexit, ratum praesto esse vehiculum,

quod populos omnes uno eodemque tramite copularet.

Sed, ut ad Sinenses redeamus, libertas illa, quae popularium ditionis initia sequuta est, Christicolis quoque, iam a quinto saeculo post Christum natum imperii fines ingressis, ius suae religionis palam profitenda necessario restituit, quod illi crebris persecutionibus ademptum luxerant passim.

Illud immo contigit tandem inauditum, ipsos publicae rei consules adstituisse sacris, quae catholicorum principi templo auspicando Pekini in urbe solemnri ritu peragerentur. Quam quidem diem rati sunt omnes illuxisse faustissimam sacris annalibus progredientis per terram regni Iesu. Non enim iugis victoriae par celebratio per eos populos redierat amplius post ortum saeculi XIV. Tum vero similes feriae praemio fuerant facinori maximo, quod Sodalis quidam Minorita, patria Picenus, expleverat. Ioannes ei nomen, natale oppidum Corvinus Mons: Evangelii dilatandi tanto studio ille fuerat nativa terra depulsus ut, Francisci Patris veste induitus, non dubitaverit italias oras linquere, exque iis in Syros, e Syris in Indos, ex Indis denique ad ultimos migrare Seres, coramque ipso rege, in ipsa urbe imperii capite praedicare Christum, et Hunc